

Nf 14



44  
DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
DODECADIS POSTERIORIS  
S E X T A,

DE  
NATURA ET  
PROPRIETA-  
TE FIDEI, QVAE  
JUSTIFICAT.

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA

die Martii hujus MDCCXXI anni

bu.

D. JOACHIMUS LANGIUS.

S. THEOL. PROFESS. ORDINARIUS,

Disquisitioni publicæ submittit

RESPONDENTE

CAROLO GUILIELMO *Blumenthal*/

LOBURGENSEI MAGDEBURGICO,

S. S. THEOLOG. STUDIOSO.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFII, Acad. Typ.

LIBRARIUS  
MATTHEUS  
PROPRIETAS  
DE HOC OVALE  
DIOCESESI  
CAROLO-GUILIELMO  
HALL. M. DEBURGER  
DIE JOH. FREDICI KROTENDORF



# Lectori veritatis amanti

*Salutem plurimam*  
a Christo, salutis auctore,



Quandoquidem doctrinam ecclesiae evangelicae apostolicam de JUSTITIA FIDEI, & de SENSU justificationis FORENSI, integra deductionis & argumentorum serie in Dissertatione antecedenti exhibui, Poiretianae Oeconomiae aestimatoribus demonstratum est, dogma istud in sacris literis esse copiosissime propositum, & solidissime fundatum. Jam quidem ordinis ratio exigere videtur, ut tractationi dogmaticae elencticam statim subjungam, in medium productis & excussis illis Cl. Poireti locis, ubi is contrarium statuit: sed ut elencho isti adhuc uberiores didascaliam de negotio justificationis praemittam, res ipsa postulat. Sensus iste justificationis forensis illis, qui cum Poireto inconsultis plane modis pro renovationis negotio laborant, adeo invisus est, ut vel solam ejus mentionem fastidiant, uberiores autem ejus deductionem pro re supervacanea, immo absurda & noxia, habeant, existimantes, hac via impietati omni fenestras foresque aperiri. Quam opinionem nocentissimam ut iis eximam, eorum-

A 2

que

que animos ut ad elenctica tractationis considerationem attentos reddam ac dociles, necessarium esse duco, ut, quam præclare ecclesia evangelica de FIDE JUSTIFICANTE sentiat, & quam *εὐσέβειαν* fit sensus iste forensis cum veritate *τῇ κατ' εὐσέβειαν*, ostendam. Et hac ratione simul, quod spero, id obtinebo, ut lubentes fateantur, ea, quæ Poiretus de fidei indole ac virtute, ad sanctimoniam relata, ita tradit, quasi suo tantum doctrinæ systemati propria sint, in syntagmate doctrinæ evangelico, quod is passim explodit, non minori in copia & longe majori puritate deprehendi. Et cum hac ipsa tractatione dogmatica ORGANICUM illud & *ληπτικὸν* fidei negotium, quod justificationis forensis ratio requirit, simul ex instituto declararem, deinceps, quando fidei a Poireto descriptæ defectus detegendi erunt, superfedere adversus ipsum potero demonstratione, fidem (quod is negat) in justificatione tantum INSTRUMENTI *ληπτικῶς* locum habere. Ceterum dolendum omnino est, in ipso gremio ecclesiæ evangelicæ ex aliquo tempore cathedras occupasse aliquot doctores, qui nihil minus ferre possunt, quam si fidei justificantis natura & ipsum justificationis negotium ita describatur, ut omnis inde Epicurea persuasio cum abusu reliquo excludatur. Quorum corruptelis ne in transversum agantur *ὡς ἀνακοί*, hos ipsos eadem opera simul præmuniendos esse existimavi. Vale in Domino!

## PROPOSITIO I.

*De Origine fidei justificantis.*

Fides justificans existit in vera animi contritione, ita ut ejus accensio sit animæ e morte spirituali excitatio, quæ apud adultos non sine multis & magnis motibus, nec sine multiplici lucta, fit.

## DEMONSTRATIO.

§. I. *Fidem* non nisi in *pœnitentia*, stricte sic dicta, seu in *contritione*, existere, manifestum est ex illis scripturæ locis, ubi jubemur *pœnitentiam agere*, *μετανοεῖν*, & credere in evangelium. Marc. I, 15. & generatim *μετανοεῖν*, notionem fidei sub notionem pœnitentiæ ideo comprehensa, ut intelligamus, fidem sine vero pœnitentiæ sensu haud existere. Matth. III, 2. IV, 17. x. 7. λ. Idem comprobatur illa *gratiæ applicatiæ oeconomia*, quæ ita ad excitationem fidei tendit, ut obstacula, in statu habitusque animi ἀμετανοήτων posita, *preveniendō & preparandō* removeat. Nolo id, quod nemo negat, hic tamen non plane prætermitti debuit, pluribus prosequi.

§. II. *Fidei* autem *accensionem* perfici in *regeneratione*, & esse ejusmodi divinæ gratiæ actum, quo, de morte spirituali, spiritualis vita conferatur, ex eo liquet, quod homo regenerandus in peccatis est *mortuus*, ideoque spirituali excitatione & vita ipsa eget, & quod

*regeneratio* striete dicta nihil est aliud, quam vita spiri-  
tualis ac fidei collatio; quemadmodum Dissertatione  
antecedenti Sect. I. demonstratum est. Idem etiam co-  
gnoscitur e contrario, seu natura *amistat*, quæ mortis  
spiritualis centrum quasi ac nervus præcipuus est. Un-  
de *amistat* expulsio est expulsio *mortis* & donatio spiri-  
tualis *vite*. Et hoc est, quod confessio ecclesiæ no-  
stræ symbolica passim inculcat, quando inter alia p. 110.  
in Apologia A. C. has adhibet locutiones: *Fide in Chri-  
stum renasci*, p. 110. & p. 127. *Oportet corda fide renasci*. item  
p. 138. *fit autem regeneratio fide in pœnitentia*.

§. III. Jam vero si fides in regeneratione existit,  
& per se vitalis est, vitam spiritualem animæ adferens;  
facile potest colligi, fidem ordinarie non sine multis  
& magnis motibus, nec sine multiplici lucta oriri, uti  
habet propositio præmissa. Etenim tanta est hominis  
corruptio, ut ipso naturæ ductu gratiæ fidem accensu-  
ræ repugnet. Et tantum ipsius *amistat* est robur, tan-  
tum est ipsi a philautia & reliqua peccati labe præfidi-  
um, ut non nisi difficulter expugnetur. Quæ difficul-  
tas sese prodere solet per diversos repugnantie gradus;  
quemadmodum hi per varios gratiæ regenerantis mo-  
tus tandem subiguntur, ac tum demum cessant, quan-  
do gratia regenerans, accensa fide justificante, atque i-  
ta ipsa etiam fides adeo invalescit, ut principium do-  
minans in homine existat. Unde in libris symbolicis  
p. 124. recte dicitur: *Fides non fit sine magno agone in cor-  
dibus humanis*.

§. IV. B. LUTHERI nostri scripta ejusmodi lo-  
cis & testimoniis abundare, nemo nescit. Sufficiat no-  
bis nunc pro instituti ratione ille locus ex aurea præ-  
fatio-



fatione in epistolam ad Romanos, quem ecclesia nostra in solenni Formula Concordiæ artic. IV. p. m. 701. e privato publicum fecit, & qui pro sua *divinitatis* ratione non hanc solum primam, sed reliquas etiam propositiones de fidei justificantis natura mirifice illustrat: *Fides* [quemadmodum D. Lutherus in præfatione Epistolæ Pauli ad Romanos scribit] *est divinum quoddam opus in nobis, quod nos immutat, ex Deo regenerat, veterem Adamum mortificat, & ex nobis plane alios homines (in corde, animo, & viribus nostris omnibus) facit, & Spiritum Sanctum nobis confert. Et est fides illa quiddam vivum, efficax, potens: ita ut fieri non possit, quin semper bona operetur. Neque fides querit demum, an bona opera sint facienda, sed priusquam de ea re inquiratur, jam multa bona opera effecit, & semper in agendo est occupata. Qui vero non ad hunc modum bene operatur, is homo vera fide caret: & ubi sit fides, ubi bona opera, quasi cæcus palpando queritat, neque tamen, quid fides aut bona opera sint, novit: interim tamen multa inepte de fide & de bonis operibus garrit & nugatur. Fides justificans est viva & solida fiducia in gratiam seu clementiam Dei, adeo certa, ut homo millies mortem oppeteret, quam eam fiduciam sibi eripi pateretur. Et hæc fiducia atque agnitio divine gratiæ & clementiæ letos, animosos, alacres efficit, cum erga Deum; tum erga omnes creaturas: quam lætitiæ & alacritatem Spiritus Sanctus excitat per fidem. Inde homo sine ulla coactione promptus & alacris redditur, ut omnibus beneficiat, omnibus inserviat, omnia toleret: idque in honorem & laudem Dei, pro ea gratia, qua Dominus eum est profecutus. Itaque impossibile est, bona opera a fide vera separare: quemadmodum calor urens & lux ab igne separari non potest.*

§. V.

§. V. Huic LUTHERI loco adjicio illum B. GERHARDI, Lutherum aliunde simul allegantis, loco de Justificat. p. m. 879. *Fides non est torpida & otiosa quedam qualitas, que per charitatem prius excitanda, movenda & animanda sit, sed RES VIVA ET EFFICAX. Vincit enim mundam. 1 Jo. V, 4. exerit semper dilectionem. Gal. V, 6. spargit radios bonorum operum. Matth. V, 16. Lutherus in cap. XI. Gen. Sophiste cum nos de fide docere audiunt, putant, de re levicula contentionem esse: non enim norunt, fidem esse mutationem & renovationem totius naturæ, ut aures, oculi, cor ipsum prorsus diversum audiant, videant, sentiant ab omnibus aliis hominibus. Est enim fides RES VIVAX ET POTENS: non est otiosa cogitatio, nec innatat cordi, sicut anser aquæ, sed sicut aqua igne calefacta, etsi aqua manet, non amplius frigida, sed calida, & plene alia aqua est, ita fides Spiritus S. opus aliam mentem & sensus alios fingit, & plane novum facit hominem &c.*

## PROPOSITIO II.

*De Indole fidei justificantis viva.*

Fides justificans ratione constitutionis suæ est maxime *viva*, ita ut *vita* ejus, etsi non ratione temporis, tamen ratione naturæ, actum justificandi, seu Christum apprehendendi, præcedat.

## DEMONSTRATIO.

§. I. Propositionis hujus veritas jam ex antecedenti thesi per se resultat. Quod si enim fidei accensio est spiritualis *vite* collatio, seu *excitatio e morte spiri-*  
ritua-



movemur ac promovemur per spem, agimur per amorem. *VITA RENOVATIONIS* in fide est, quando operosa est per charitatem. Gal. V, 6. Vita denique *BEATITUDINIS* vel salutis in fide est fructio summi boni, quod per fiducialem apprehensionem meriti Christi obinetur, juxta illud: Justus fide sua vivet. Rom. I, 17. Gal. III, 11. Hebr. X, 38. Vita salutis iterum est vel spiritualis sive gratiæ, vel gloriæ divine. Priores duo significatus vitæ, nempe regenerationis ac renovationis, præcipue pertinent ad hanc controversam. Sicut ergo corpus hominis ab anima animatur ac vivificatur, ut illud vivat, tum habitualiter & actu primo; tum ἐνεργητικῶς, & actu secundo, & per illum respectum intrinsicè & formaliter, per hunc vero effectivè & ἐνεργητικῶς vocetur vivum; & a corpore mortuo per actiones vitales dignoscitur; ita & fides animatur ac vivificatur. Et fidei quidem externæ vita est cooperatio cum operibus ad perfecte notificandum fidem salvificam & ostendendum coram Deo factam justificationem. Fidei autem internæ vita est tum ἐντελέχεια, seu *ACTUS* primus fidei, & quasi principium formale vitæ supernaturalis, quod est fiducialem apprehensio meriti Christi, tum operationis per caritatem. Hæc enim posterior operatio fidei non est anima ejus, vel id, per quod fides interna formaliter vivit, sed signum duntaxat animæ præsentis, simile corporis vivi habitui & aliis motibus vitalibus. Unde non est, cur Bellarminus adeo tergiversetur, dum non vult concedere, vitam esse de essentia fidei, quemadmodum vita est de essentia hominis, sed inquit: per metaphoram dicitur fides viva, cum operatur, mortua, cum non operatur. - - Si enim fides salvifica habet operationes vitales, similes spiritui, id est habitui, quo respirat homo, ac ostendit, se vivere ac animatum esse;

*esse; utique viva fides salvifica erit supernaturaliter animata ac viva, ac habebit vitam, similem vitæ humane, per quam ipsa fides supernaturaliter animatur ac vivit. Fides salvifica, quamdiu manet & non excutitur, semper est practica, id est, & habet suam ἐντελέθειαν & actum formalem, qui est fiducialem apprehensio meriti Christi, tum etiam ἐνέργειαν, id est vitalem operationem, ab efficientia principii formalem, vite supernaturalis in fide, quod ἐντελέθειαν diximus, dependentem. Videatur idem Auctor in locis Theologicis p. 452. & CARPZOVIVS senior in Hægoge ad Libb. Symbb. p. 265. Conf. ipsos libros Symbol. p. 109. ubi fides justificans nova vita appellatur.*

## PROPOSITIO III.

*De indole fidei justificantis lucida.*

Fides justificans in anima etiam divina lux est, qua homo poenitens ea, quæ revelata sunt, speciatim vero objectum suum justificum, salutariter agnoscit, divinum & supernaturalem huic & istis assensum præbens.

## DEMONSTRATIO.

§. I. Fidem justificantem ejusmodi lucem esse in anima, liquet: 1.) ex ejus origine, quam habet in regeneratione secundum propos. I. Regeneratio enim est synonymum conversionis: in conversione vero fit translatio, ut a potestate satanæ ad Deum, ita etiam a tenebris ad lucem, h. e. illuminatio, secundum ora-

culum illud Pauli Act. XXVI, 18. & alia hujus rei argumenta, quæ in veritate evidenti & concessa lubens prætereo. 2.] Ex illa fidei *indole*, secundum quam *viva ipsaque vita* est, uti habet propositio II. Vitæ vero spirituali non minus propria est facultas spiritualiter *videndi*, seu cognoscendi, quam vitæ naturali proprietates naturaliter videndi competit. 3.) *E re ipsa*. Cum enim ignoti nulla sit cupido, fides vero singulari apprehendendi cupiditate ad objectum suum salvificum feratur, res ipsa exigit, ut fides sit *lux spiritualis*, seu facultatem cognoscendi habeat.

§. II. Idem comprobant ea Scripturæ sacræ loca, ubi *cognitio* & *agnitio*, & quidem *Christi Salvatoris*, habetur pro synonymo fidei, eique justificatio & salvatio, nec non sanctificatio, seu studium sanctimoniam, tribuuntur, ut Jes. LIII, 11. *Servus meus justus per agnitionem sui multos justificabit.* Jo. XVII, 3. *Hæc est vita eterna, ut te, Pater, & quem misisti, Jesum Christum, agnoscant esse solum verum Deum.* Conf. Phil. III, 8. 1 Tim. II, 4. 2 Pet. I, 2, 3, 8. c. II, 20. Manifestum vero ex his locis, uti e re ipsa est, notitiam illam mere historicam, quæ in impiis est, hic non venire in censum.

## PROPOSITIO IV.

*De indole fidei justificantis ὁρθανῶς activa.*

Fides justificans in ipsa justificatione ὁρθανῶς est *activa*, activitate sua id agens, ut Christus ad justitiam & salutem adprehendatur.

DEMON-

## DEMONSTRATIO.

§. I. *Activitas fidei*, seu facultas sese exferendi versus objectum suum, alia est *organica*, alia *effectiva*. *Organica* circa objectum ita versatur, ut illud appetat & apprehendat: *effectiva* vero ita sese exerit, ut operetur. *Organica fidei activitas*, die *organische Glaubens-Geschäftigkeit* est indolis evangelicæ, & versatur circa evangelium & *beneficia* inde accipienda; *effectiva* autem est quidem ratione originis suæ itidem indolis evangelicæ, sed ratione objecti sui est legalis, circa legem ita occupata, ut in *officiis* præstandis, seu reddendis, tora sit. Utriusque activitatis imaginem habemus in manu *mendicantis* & *operantis*. In *justificatione* fides *mendicandi*, in *renovatione operandi* facultatem exerit.

§. II. Fidem vero in *justificatione* ὀργάνως esse *activam*, manifestum est ex indole ejus *viva*, paulo ante descripta, maxime vero e re ipsa; siquidem actus fidei activitate organica sese exferendi nihil est aliud, quam actus Christi meritum appetendi, apprehendendi & apprehensum continendi ac retinendi. Idem evincit indoles ejus *supplex*, seu proprietates *supplicandi*, de qua paulo post.

§. III. *Organica* vero huic fidei *activitati passivitate* ejus, ut ita loquar, seu proprietatem passivam, secundum quam *receptiva* est, oblatum Christi meritum non demum efficiens, sed gratis oblatum *recipiens* ac *admittens*, nequaquam obstare, res ipsa indicat: quemadmodum videmus in manu *mendici supplicantis*, organicum extensionis & apprehensionis activitatem adeo ejus *passivitati*, seu naturæ *passivæ*, quæ in receptione, admissione & retinente comprehensione est, haud ad-

versari, ut hæc sine illa locum habere nequeat.

§. IV. Et hanc activam indolem, *ὀργανικὴν* talem, fidei justificanti in ipsa justificatione tribuunt Theologi nostrates, quando ipsi apprehendendi *actum* seu *actionem* tribuunt. Instar omnium hic esse potest B. HOEPFNERUS, qui in libro de Justificatione p. 51. *ACTIO*, inquit, *fidei circa hoc objectum est apprehensio seu acceptio meriti Christi*. Item p. 1100. ubi voce *organica* etiam ipse utitur: *Fides*, inquit, *ceu ORGANICA ACTIO, apprehendit meritum Christi*. Hoepfnero addo D. RUDRAUFFIUM, Theologum Giessensem haud obscuri nominis, qui in *Summa Theologiae Theticæ* p. 377. de fide justificante activa & passiva evidenti cum discrimine hæc habet: *Tres illorum graduum (cognitionis, approbationis, seu assensus, & appropriationis) actiones vel receptiones dicuntur forma fidei. Quæ si explicatur per gratiæ vel meriti Christi apprehensio receptionem, concipitur PASSIVE; recipere enim est pati: sicut per appropriationem & apprehensionem, ACTIVE - - cum non repugnet ACTIVE & PASSIVE considerari, apprehendere & apprehendi; sicut alias actio & passio idem motus sunt, ita idem potest sumi active & passive*. Conf. GERHARDUM Loco de Justific. p. 997. *Duplex est fidei ἐπέχεια, prior, qua apprehendit Christum, & hoc modo obtinet rationem instrumenti; posterior, qua sese per opera exserit, & hoc modo obtinet rationem efficientis*. Item SCHERZER. Colleg. Anti-Socin. p. 728. *In fide justificata est ACTUS mentis PRACTICUS, applicativus & conclusivus, qualis non est in historica*.

PROPO-



## PROPOSITIO V.

*De indole fidei justificantis supplice, seu supplicante.*

Fides justificans est *supplex*, seu *supplicans*, ita ut thronum divinæ gratiæ in Christo demisse adeat, & quæ ad spiritualem ac æternam salutem necessaria sunt, intensissimo *nisu* ac *desiderio* expetat.

## DEMONSTRATIO.

§. I. Fides justificans ut Deo supplicare, seu ipsum supplici prece adire, possit, id habet cum e natura sua viva & activa, jam descripta; tum ex objecto, promissione gratiæ, quæ pœnitentes omnes, ut eam expetant, quam efficacissime allicit, ipso Spiritu Sancto promissionem, ad supplicationem excitandam, animo cum *ἐπιθυμία* insinuante.

§. II. Quod vero fides supplicare debeat, non minus manifestum est e re ipsa: & quidem e conditione hominis justificandi, qui coram Deo aliter considerari nequit, quam *reus* & *mendicus*. Vide Rom. III, 19. *κ. τ. λ.* Rei vero & mendici proprium est, fieri supplicem. Immo hoc est, quod totus judicialis agendi modus, vulgo processus dictus, quem in justificatione locū habere, Dissertatione antecedenti demonstratum est, in omnibus partibus comprobatur. Supplicationes vero naturæ esse forensis, nemo nescit.

§. III.

§. III. Cum *supplicandi proprietates* adeo ad ipsam rei naturam pertineat & inde cognoscatur, jam in antecessum facile potest colligi, mentionem ejus in sacris esse frequentissimam. Hæc vero mentionis frequentia, seu ubertas, ut imperitis etiam eo magis fiat conspicua, eam secundum potiores synonymiæ biblicæ partes paucis recensabo,

1. In Psalmis Davidis identidem adhibetur vox הפלח, *precatio supplex*, quam vocem forensam esse, & a radice פלח *judicavit, judicium exercuit* ortam, proprie supplicationem notare, nemo non videt. Et hanc David adhibet una cum verbo לקח *accepit, suscepit*, Deum rogans, ut *preces suas supplices suscipiat*, seu iis annuat, daß er seine demütige Supplic annehme; vel etiam de exauditione certus Deum celebrat, quod isti tam benigne annuat. Vide Psalm. IV, 2. V, 3. VI, 10. x. r. λ.

2. Eadem est vis vocis תרהנה *precatio gratie*, daß *Graden Suchen* / & verbi רחן, gratiam exhibere: id quod David itidem sæpius coram Deo usurpat, subinde ingeminans illud suum רחמי רחמי sey mir gnädig/ sey mir gnädig. Psalm. IV, 3. VI, 3. 10. *audi Deus תרהנה mein Flehen um Gnade. IX, 14. &c.* Huc pertinent precatiois formulæ, verbo רחמי רחמי aliisque vocibus ac modis a pœnitentibus expressæ.

3. *Desiderium pœnitentis* etiam nihil est aliud, quam proprietates fidei supplicantis. Vide Psalm. X, 17. Psalm. XXXVIII, 10. &c.

4. Idem notant verba & nomina *querendi & appetendi* Matth. VI, 31. XIII, 24. Psalm. LXXIX, 33.

5. Præcipue huc pertinent locutiones & notiones *famis & siti* spiritualis Matth. V, 6. *Beati, qui esuriunt ac sitiunt*

*sunt iustitiam, quia saturabuntur.* Conf. Psalm. XLII, 1. seqq. LXIII, 2. Psalm. CVII, 9. Ies. XLIV, 3, 4. Jo. IV, 10. seqq. VII, 37. Apoc. XXI, 6. XXII, 17.

6. Nec prætereunda hic sunt illa loca, in quibus viva illa & activa supplicandi, seu Deum supplici prece adeundi, proprietatis verbis *veniendi, adeundi, accedendi & appropinquandi* exprimitur. Matth. XI, 28. *Venite ad me omnes onerati & laborantes, ego vos refocillabo.* Jo. V, 40. *Non vultis ad me venire, ut vitam habeatis.* c. VI, 35. *Ego sum panis vitæ, qui ad me venit, nequaquam esuriet, & (quod ἔσθῃσιν additur) qui in me credit, non sitiet.* Conf. v. 37, 44, 45. VII, 37. Apoc. XXII, 17. Ies. LV, 1. Et hinc patet emphasis verbi *προσέρχεσθαι*, quod de *accessu ad thronum gratiæ* adhibetur. Hebr. IV, 16. X, 21. Et ex hac ipsa fidei notione proxima redditur ratio, cur Christus ipsa *via* vocetur, seu *viam* semet ipsum appellet Jo. XIV, 6. Conf. Hebr. X, 19, 20. Et hinc demum intelligitur emphasis locutionis in expositione articuli secundi symboli apostolici, quando B. LUTHERUS locutionem *nicht aus eigner Vernunft noch Kraft an Jesum Christum metnen Herrn glauben* / statim sic declarat: *oder zu ihm kommen kan.* Quæ cum ita sint, optime dicitur in Apologia A. C. p. 168. *Venire ad Christum est credere &c.*

§. IV. Et hanc ipsam fidei justificantis indolem, quæ in *supplicatione* est, egregie confirmant illa scripturæ loca, quæ eandem proprietatem ita exprimunt, ut simul *supplicantium* exempla exhibeant. Sufficiant nobis e compluribus sequentia:

1.) *David* in psalmis metanoeticis, & in aliis etiam, passim totus est in *supplicatione*: quemadmodum inter alia

C

alia

- alia e locis jam paulo ante allegatis liquet.
- 2.) *Manassés* pœnitentiam agens *supplicationem* exercebat eo intensius, quo graviore peccatorum mole erat gravatus. 2 Chron. XXXIII, 12, 13.
  - 3.) *Publicani pœnitentis* exemplum non minus omnibus est notum. Cujus in *supplicatione* hæc erat summa: *Deus propitius esto peccatori mihi* Luc. XVIII, 13.
  - 4.) *Supplicationem filii degeneris* ad patrem, & pœnitentis *latronis* ad Christum in cruce directam, huc pertinere, res ipsa docet. Luc. XV, 17. seqq. c. XXIII, 40. seqq.
  - 5.) *Imaginem supplicationis* hujus habemus egregiam in omnibus iis, qui corpore afflicti, seu vario morborum genere pressi, Christi, in Palæstina *ἀυτοπροσώπως* ambulantis, opem supplices implorabant: maxime cum istorum nonnulli non animæ minus, quam corporis, medicinam ac salutem expeterent; uti inter alios videmus in paralytico illo Matth. IX, 2. cui Christus corporis sanitatem restituebat una cum hac animæ salute annunciata: *confide fili, remissa sunt tibi peccata tua.*

s. V. Negari quidem nequit, in exemplis & dictis prolatis ea etiam esse, quæ non solum ad justificantis, sed ad sanctificantis quoque fidei indolem pertineant, seu, illa agere generatim de fidei supplicatione, atque ita de ea etiam, quæ post justificationis actum apud justificatos in renovationis cursu exercetur: sed inde tamen non sequitur, ea non κατ' ἐξοχήν valere de hac fidei indole, quam in ipsa justificatione exserit. Quemadmodum enim justificationis actus in universo ejus statu, quem renovationis cursus habet, ratio-

ratione repetita auctæque ac invalescentis applicationis, & ratione majoris sensus corroboratur; sic etiam eadem fidei indoles & in actu & in statu viget, poenitentia prima illa cum quotidiana id, etsi sensu aliquo modo diverso, commune habente & exigente, ut homo identidem ingeminet usitatum suum: *miserere mei! remitte mihi peccata mea!* Nec obstat, reliqua etiam charismata, & ipsa quoque bona ad corporis & hujus vitæ sustentationem necessaria, supplicante fide & prece a Deo expeti & obtineri. Hæc enim supplicationis exercitium ut genuinum sit & Deo placeat & exaudiatur, efficitur a supplicatione ista prima & primaria, quæ justificationis actui propria est; utpote quæ omnes officiorum actiones ac virtutum habitus dirigit, pro ea fidei justificantis dignitate, qua caput & mater est actionum ac virtutum omnium.

s. VI. Restat, ut hanc fidei justificantis proprietatem, quam in *supplicatione & supplici desiderio* habet, adhuc præcipuorum aliquot ecclesiæ nostræ doctorum testimoniis comprobem, ut imperitis etiam constet, hanc fidei indolem, etsi in ejus partium (notitiæ, assensus & fiduciæ) ordine expressa ejus mentio haud fiat, ipsi omnino esse propriam, naturalem ac necessariam. B. FLACIUS in *Clave Scripturæ* in voce *fides* inter alia hæc habet: *Quæ omnia liquido ostendunt, fidem nequaquam tantum esse notitiam promissionum & promissorum bonorum, sed etiam INGENS DESIDERIUM simul, & fiduciam aut acceptionem amplexumque illarum promissionum & promissorum bonorum. Nam sola notitia non est motus accedens bona, aut fugiens mala, sed ille motus, qui proxime notitiam consequitur. Quare testimonio Christi fides justificans talis*

*talis quædam notitia est, quæ non tantum agnoscit Mediatorem, ejusque beneficia, sed etiam ARDENTISSIME EA EXPETENDO, sibi que ea applicando, ad Mediatorem & omnino ad thronum gratiæ cælestis Patris per hunc intercessorem & sacerdotem æternum accedit, ibique ista spiritalia bona leta fidens que a Deo accipit & consequitur &c. Item: Igitur & fidem, per eam (doctrinam) divinitus erga Deum in pectore nostro excitatam, oportet esse non tantum speculativam notitiam, sed etiam ARDENS DESIDERIUM, ac fiduciam oblati favoris & divinorum beneficiorum. Item: Si quis tam dulces compellationes ac invitationes Dei sola notitia completeretur, eis que assentiretur, nec porro VIVO MOTU CORDIS ad eas DESIDERANDAS, accipiendas, eis que fidendum ac fruendum moveretur, an non is contemere tum illum plane maternum Dei affectum, tum & ejus invitantia verba ac promissiones, tum denique & ipsa bona videretur? &c. Item: Sola igitur famelica & mendica manus debet huius tam divitis & benefici patris maternis visceribus & thesauris occurrere.*

§. VII. B. CHEMNITIUS in Loco de Justificatione p. m. 269. seqq. hæc habet: *In tertio membro definitionis describitur causa formalis, quomodo scilicet fides justificans circa suum illud objectum versetur. Non assensione generali, nec superficiali, sed ita ut vero & serio motu mentis, voluntatis & cordis expetat, quærat, apprehendat, accipiat, & privatim singulis credentibus applicet promissionem gratuite reconciliationis, propter Christum mediatorem, ut in ea acquiescat ad justitiam, salutem & vitam æternam. Item: Est igitur apprehensio, acceptio, seu applicatio promissionis gratiæ, formale fidei justificantis, juxta phrasin scripturæ. Non autem hoc tantum scriptura de fide*  
pre-

prædicat; verum etiam describit, quomodo & quibus motibus fiat illa apprehensio, sive applicatio. Et hæc applicatio valde multum habet utilitatis. Ex horum enim quasi ἀ-  
 valότες, sive ἀνάλυσις & clarius conspicitur natura, & ut ita  
 dicam, praxis fidei justificantis, & potest quisque deprehendere,  
 an habeat veram fidem justificantem. Item: deinde ex  
 hac notitia & assensione, que in mente est, cor seu voluntas  
 & concipit operatione Spiritus S. gemitum seu desiderium,  
 ut, quia serio sentit, se oneratum esse peccatis & ira Dei, ex-  
 petat, quærat sibi donari illa beneficia, que in promissione  
 Evangelii proponuntur. Illud vero desiderium æstuat in-  
 tus gemitibus inenarrabilibus, & exerit se per invoc-  
 tionem. Rom. X, 13. it. dimitte nobis debita. Item: Scien-  
 dum est, in singulis hisce gradibus virtutem Dei infirmitate  
 perfici. Fides enim justificans nec semper, nec in omnibus  
 est lux ardens; sed sepe linum vix fumigans. Non semper  
 est clamor sonorus, sed sepe desiderium obscurum, & gemitus  
 absconditus. Huc refer p. 260. Status autem hic est, ut pro-  
 betur, fidem esse talem notitiam in mente, ad quam, si vera  
 fides est, sequatur assensus in voluntate, & motus cordis,  
 desiderio & fiducia apprehendens & applicans objectum, quod  
 bonum esse, monstratum est, ita ut in eo acquiescat. Qui  
 motus omnes uno vocabulo credere comprehenduntur. Sic  
 paulo ante: Questio est, quomodo & quo respectu fides justi-  
 ficet, h. e. quando in vera lucta mentes perterrefactæ sensu i-  
 re Dei quærunt firmam consolationem, ut a sententia da-  
 mnationis liberentur &c. Item pag. 262. Fides amplectitur  
 simul motus voluntatis & cordis, hoc est, desiderium & fi-  
 duciam, que, in lucta cum peccato & ira Dei, singulis cre-  
 dentibus promissionem gratiæ ira applicat &c. Sic p. 264. Fidei  
 ἡπίστανσις describitur per expectationem cum desiderio, ni-

fu & conatu in magna anxietate, eaque voce luctam fidei pulcherrime depingi, ait.

Porro: *Observandum est, singulos istos gradus non semper eque esse illustres in credentibus; sed fidem modo in hoc, modo in illo gradu magis laborare, & tamen esse fidem, modo verum objectum retineatur. Lucta enim vel in assensione, vel in desiderio, vel in fiducia, non est signum incredulitatis, sed est vera nota vivæ & efficacis fidei, que captivum ducit & intellectum & voluntatem in obsequium Deo.*

§. VIII. B. HOEPFNERUS in libro de Justificatione p. 51. *Apprehensio, fidei forma, notat præviã justitiæ indigentiam, quam peccator in contritione agnoscit, & ipsam justitiã Christi, per evangelium oblatum, ardentissimo voluntatis motu amplectitur & tenet. Item pag. 433. Publicanus se humilians, serio confessis & pectoris rufione significatis peccatis, apprehendit propitiatorium, a Deo ad remissionem peccatorum propositum, h. e. Messiam, & fidem suam invitus edisserit desiderans ac flagitans propitiationem, seu reconciliationem cum Deo. Hoc autem nihil aliud est, quam credere in Christum, ita ut fides in corde per desiderium fiduciale, in ore per expressam precationem, se exerat. Ergo qui credit in Christum, se humiliat. (Not. hoc probandum sibi sumserat vir beatus, nimirum fidem justificantẽ in se consideratam esse humiliationem spirituale, ita pergens:) Exaltatio est actus judicũ præmiantis humiliantem se humiliatione fidei in Christum, habentis præviã humiliationem contritionis, ut fiat justitia Dei in Christo. 2 Cor. V, ult, ac amicus Dei ac hæres vite æternæ, qua nulla major altitudo hominis esse potest.*

§. IX. B. CUNDISIUS in notis ad Compend. HUTTERI de Pœnitentia quæst. VIII. p. 908. Hœpfnerum ex alio loco allegatum secutus ita scribit: *Fides salvifica,*



vifica, ut ad penitentiam salutarem est necessaria, continet in se quatuor actus voluntatis & adfectuum. Quorum primus est desiderium meriti Christi, seu vim habentis ad iustificandum, ut illud coram Deo nobis imputetur ad iustitiam, & propter illud apprehensum, remissionem peccatorum & gratiam consequamur: actus alter est apprehensio rei desideratae, & ad iustitiam credenti imputabilis Rom. IV, 24. IX, 2. X, 3. Phil. III, 9. Tertius actus est promptissima adhaesio & unio cum re desiderata, id est, cum Christo pro peccatis nostris mortuo. Gal. II, 20. Rom. VIII, 1. Jo. XV, 4. Quartus actus est fiducia, id est, quies super apprehenso, & sibi per apprehensionem voluntatis unio Christo. Beatus Hieronymus Part. II. Tract. de Cena Domini. Art. I. cap. IX. aph. III. IV. V. VI.

## §. X. B. QVENSTEDIUS in Systemat. Part. IV.

p. 284. Apprehensio voluntatis practica totius cordis ac voluntatis in Christo recumbentiam involvit, notatque DESIDERIUM & ACCESSUM ad Christum, ejusque meriti applicationem & appropriationem fiducialem, & haec proprie est fiducia. Item p. 286. de forma fidei justificantis: Hunc (Christum) DESIDERIO QVAERO, ut meum, amplexu capio, ut meum; fiducia teneo, ut meum. Item p. 291. Apprehensio voluntatis nihil aliud est, quam fiducia, notatque DESIDERIUM & ACCESSUM ad Christum. n. r. l. Item B. D. WILHELMUS LYSERUS in Systemate p. 1508. Ut ergo affirmative aliquo modo formalem fiduciae rationem describamus, est per tractationem divinam ADVENTUS AD CHRISTUM, ut ultimum terminum, in quo omnis hominis VOLUNTAS atque DESIDERIUM sufficientissime acquiescit. Conf. D. CARPZOVIVM in Hagiogoe ad libros Symbol. p. 1297. ubi cum allegatione HOEPFNERI ad fiduciam

duciam hæc tria refert: 1.) *Desiderium meriti Christi*: 2.) *apprehensionem meriti Christi*, ut rei *desiderata*; & 3.) *quietem* atque *acquiescentiam* in bono oblato & actu apprehenso. Conf. etiam B. D. JOANNES OLEARIUS in *Theol. Positiva* p. 771. ubi negat, apprehensionem esse theoreticam & nude assentientem, sed contendit, eam esse *practicam*, quæ *TOTUM cordis & voluntatis in merito Christi recumbentis DESIDERIUM cum actuali appropriatione conjunctum complectatur*. Item p. 772. ubi itidem ad HOEPFNERUM, & speciatim ad ejus *Dissertationem*, de qua in *Dissertatione* sequenti, provocat. Videatur etiam B. DANNHAUERUS in *Hodosophia* p. m. 137. 1340. alios nunc lubens prætereo. Quis enim, nisi plane hospes in rebus divinis & earum praxi, hic non esset *ὁμολογῶν?*

## PROPOSITIO VI.

*De proprietate fidei justificantis apprehendente & applicante.*

Quandoquidem supplicationis *actio apprehensionem* pro scopo habet, & per se ipsa jam apprehensiva est, sic apprehensio meriti Christi eam ita perficit, ut in objecti sui suppliciter expetiti applicatione tota sit.

## DEMONSTRATIO.

§. I. Hæc fidei proprietates tam est evidens, ut nec demonstratione, nec illustratione egeat. Indolem enim ejus esse magneticam, quam vulgo vocamus *attractivam*, nemo nescit; quemadmodum notissimum est, illam

illam in sacris litteris verbo *accipiendi*, seu *recipiendi*, notari. Jo. I, 11, 12. 2. 5. 7. 8.

§. II. Ut tamen res jam per se clarissima plus adhuc lucis accipiat, præter figuram manus in mendico & reo supplice apprehendentis, notentur sequentes imagines, rem ipsam ad vivum representantes: 1.) *mulieris hæmorrhøise*, quæ Christum, sub symbolo extensæ & attrectantis manus, magnetica fidei virtute ita apprehendebat & attrectabat, ut Christus diceret, *virtutem aliquam a se emanasse*. Matth. IX, 20. seqq. Conf. omnino Luc. VI, 13. *omnis populus querebat ipsum contrectare, quia virtus ex ipso egrediebatur & sanabat omnes*. item c. VIII, 43. seqq. Matth. XIV, 36. 2.) *Infantis lactentis*, qui labris, matris uberibus intensissimo nisu ac desiderio admotis, lac ex iis sugendo attrahit & in succum ac sanguinem convertit. Infantes vero homines justificandos constituit gratia regenerationis, qui jam in ipso natiuitatis suæ momento lac gratiæ ex uberibus evangelii in Christo turgentibus & effluentibus attrahunt.

## PROPOSITIO VII.

*De indole fidei justificantis acquiescenti & recumbenti.*

Quia meritum Christi & cum eo Dei gratia, tanquam summum & salutiferum bonum, apprehenditur ac recipitur, fidei justificantis proprium est, ut in eo, tanquam in elemento ac alimento suo, cum suavissimi

D

mo

mo pacis, libertatis ac lætitiæ spiritualis sensu *recumbat & acquiescat*, hac ratione applicationem specialem, quæ jam per supplicationem & apprehensionem coepta erat, perficiens. Atque ita fides, quæ secundum proprietatem supplicandi & apprehendendi *activa* est & in *motu* versatur, secundum hanc recumbendi & acquiescendi facultatem *passiva* est, in *quiete* constituta.

## DEMONSTRATIO.

§. I. Utraque fidei proprietates, cum illa *motus & nisus* ad & circa objectum apprehendendum; tum hæc *quietis* in objecto apprehenso, satis manifesta est ex ipsa notione grammatica vocum supplicationis, desiderii & apprehensionis, nec non recumbentis & acquiescentis fiducia; adeo ut, hæc declarare velle, sit meridiei lucem affundere. Interea tamen haud supervacaneum erit, si utramque fidei facultatem, illam *motus & quietis*, illustravero, primo quidem ex ipsa *anime humane natura*, deinde e diversa *phraseologia biblica*, quam de fide pro ista respectus diversitate adhiberi videas.

§. II. *Anima hominis* respectu voluntatis, tanquam facultatis alterius primariæ, hæc duas speciales habet facultates, unam *appetendi*, ut, quod *intellectus* pro bono agnoscit, possit *appetere*, seu appetendo desiderare ac  
reci-

recipere, id quod est *κατ' ἐξοχήν* velle; alteram *acquiescendi*, ut in recepto & obtento possit *acquiescere*, de eo *gaudere*, ejusque praesentia & praesentia ac salubritate *frui*. Jam cum fides sit ejusmodi qualitas, quae totam animam & singulas ejus facultates afficit ac perficit, ea non potest non ad intellectum & ad voluntatem pertinere. Quemadmodum vero fides respectu *intellectus* divina lux est; sic respectu *voluntatis*, & quidem *appetentis*, est supplicans & apprehendens, seu ipsa supplicatio & apprehensio; respectu *acquiescentis* vero etiam ipsa est *acquiescens*, acquiescendi ac recumbendi facultatem habens.

§. III. Ex hoc ipso fundamento de duplici fidei justificantis proprietate, una *motus* ad terminum, seu objectum, altera *quietis* in eodem, reddi potest ratio [quae alias dari nequit] de diversa constructione verbi *πιστεύειν* & nominis *πίστις*, cum particula *εἰς* ac *ἐν*, casui quarto praeposita & *motum* notante; nec non cum praepositione *ἐν* & *ἐπι*, tanquam nota casus sexti seu tertii apud Graecos, & quietis notionem habente. Et usus quidem particulae *motus*, seu locutionis *πιστεύειν εἰς Χριστόν, ἢ πῆστις εἰς Χριστόν*, seu *ἐν τῷ Χριστῷ*, aut *εἰς, ἐν τῷ θεῷ*, credere in Christum, fides in Christum, in Deum, an Christum glauben/ der Glaube an Christum/ an Gott/ frequentissimus est in codice Novi Testamenti, altera illa locutione quietis notionem habente frequentior; uti vel ex indice locorum parallelo, quem vulgo concordantiam vocant, liquet.

§. IV. Hujus vero frequentioris usus ratio praxin ipsius fidei illustrat, uti haec istam. Nimirum pro imbecillitate nostra frequentius apud nos est *exercitium*

*supplicationis*, seu nifus & desiderii in fide, quam *acquiescentiæ*: h. e. quamdiu in hac miseria versamur, ordinarie nondum adeo acquiescimus in Deo, Deoque fruimur, ut non identidem eo nobis per supplicationes nifusque ac desideria contendendum sit, ut eo, seu salute nostra in ipso, subinde plenius majorique cum quietis sensu fruamur. Quid? quod tentatorum seu *afflictorum* omnium proprium sit, acquiescentiæ sensu destitui, & ut in Deo acquiescere possint, omni nifu solicite & anxie contendere. Unde simul liquet, observationem hanc philologicam amplissimi esse usus in praxi apud afflictos, qui e defectu sensus, quo respectu acquiescentiæ laborant, cum magno angore argumentari solent ad ipsum fidei defectum: cum tamen fidei supplicantis & desiderantis facultate adeo non careant, ut, quo major est afflictio & animæ angustia & ariditas, famesque ac sitis, eo major in ipsis sit supplicantis fidei sensus.

§. V. Hic autem præterea observandum est, fidem, quando hæc in vita æterna *cessatura* esse dicitur, proprie esse hanc ipsam fidei indolem, secundum quam, in imperfectione constituti, perfectionem exoptamus, ad eam omni nifu desiderioque contendentes: cum fides respectu acquiescentiæ adeo non desinat in regno gloriæ, ut in eo potius futura sit consummatissima, pacis ac tranquillitatis profundissimæ naturam sortita. Atque ita *fides supplicans*, & ad objectum suum connitens, proprie est *fides viæ* in patriam; fides autem in Deo consummate *acquiescens fides patriæ* ipsius. Quemadmodum vero non exiguus vitæ æternæ prægustus hic in vita gratiæ datur; sic fides illa *supplicans* ordinarie etiam simul est *acquiescens*, ipso acquiescentiæ gradu vel  
majo-

majori, vel minori, quo major aut minor ipse vitæ æternæ prægustus est; cujus illi, qui interius afflicti & in magna ariditate constituti sunt, nullum, aut exiguum, habent sensum.

§. VI. Videamus nunc loca, in quibus verbum πιστεύειν, aut nomen πίστεως cum nota quietis constructum legitur:

Rom. IX, 33. πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ, omnis qui credit, seu credendo acquiescit in ipso, non confundetur. Idem ex Ies. XXVIII, 16. repetitum videas c. X, 11. nec non I Pet. II, 6.

I Tim. I, 16. Ego misericordiam consecutus sum, ut in me primo demonstraret Iesus Christus omnem longanimitatem, ad exemplar τῶν μελλόντων πιστεύειν ἐπ' αὐτῷ, eorum, qui credituri seu credendo acquiescunt in ipso ad vitam æternam.

Sic Marc. I, 15. jubemur πιστεύειν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ Eph. I, 3. fideles dicuntur πιστεύσαντες ἐν τῷ Χριστῷ: quemadmodum v. 12. vocantur προελπικότες ἐν τῷ Χριστῷ. Gal. III, 26. Omnes filii Dei istis διὰ τῆς πίστεως ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, per fidem in Christo, scilicet acquiescentem. I Tim. III, 13. acquirunt sibi multam parrhesiam ἐν πίστει τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, in fide, quæ in Christo recumbit. 2 Tim. III, 13. Litteræ sacræ te possunt erudire ad salutem διὰ πίστεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, per fidem, quæ in Christo requiescit. Et quia scriptura sacræ etiam fundamenti instar est, quo fides nostra nititur, idem verbum πιστεύειν in notione acquiescendi etiam de scriptura adhibetur Luc. XXIV, 25. Quod si philologos & criticos, rerum divinarum non satis gnaros, hic adhibeas in consilium, dicent, præpositionem ἐν poni pro eis, genuina istarum locutionum emphasi ignorata, aut obscurata. De ea vero fidei proprietate, secundum

quam Scripturæ sacræ & ipsi Christo, tanquam fundamento, superstructi innitimur, vide Act. XVI, 5. 1 Cor. XVI, 13. 2 Cor. I, 24. Col. II, 7. 1 Petr. V, 9. epist. Jud. v. 10.

§. VII. Operæ erit pretium, ut hæc fidei qualitas, secundum quam illa per *motum* ad *quietem* tendit, & isto ita utitur, ut hac fruatur, e locutionibus codicis Hebræi illustrem. Ubi, ne longior sim, sufficiat nunc locus unus atque alter e Psalmis Davidis. Huic frequens est usus verbi חסה de negotio fidei usurpati. Jam vero hoc ipsum verbum utramque habet notionem, *motus* & *quietis*. Et *motus* quidem per se, cum proprie significet *confugit*, *recepit se ad aliquem* (ad Deum,) *ut pulli ad alas gallinæ*, Psalm. XXXVI, 8. Unde voces derivatæ חסרת & מרסה *receptum* ac *refugium* notant. Notio autem *quietis* exprimitur per constructionem, quam verbum istud habet cum particula non motū, sed quietē notante כו: ita ut phrasis כו חסה Psalm. XVIII, 3, ita sit explicanda: *ad eum confugiam, ita ut in eo tutus acquiescere possim*: quemadmodum omne refugium tutelæ & quietis gratia capitur. Et hanc ipsam constructionem videas Psal. II, 12. V, 12. VII, 2. XI, 1. XVI, 1. XVIII, 3, 31. XXV, 20. XXXI, 2, 20. XXXII, 10. XXXIII, 21. XXXIV, 9, 23. XXXV, 8. XXXVII, 40. &c. Eadem fere est ratio verbi בטח, confusus est; utpote quod pro diverso objecti & fundamenti, seu baseos, respectu cum particulis על & אל *objectum motumque* notantibus, nec non cum præfixo כו *quietis* notionem habente construitur, vide Pf. IX, 11. XIII, 6. XXI, 8. XXV, 2. XXVI, 1. XXVIII, 7. XXXI, 7, 15. XXXVII, 3, 5. XL, 4. ז. ט. י.

§. VIII. Verbum vero חתם, quod præcipue *fiducie*



cie est, construi solet cum præfixo כ, *fundamenti & quietis* in eo quæsita & inventæ notionem habente. Id quod singulari cum emphasi factum videas in loco de exemplo Abrahami Gen. XVII, 6. ubi verba: *credidit Domino*, Hebraice sunt כִּי אֱמַן בַּיהוָה, *credidit in Domino*, h. e. Domino ita credidit, seu confusus est, ut in eo insigni cum plerophoria (quam Rom. IV. descriptam videas) *acquiesceret*. Ubi simul observari velim, in verbo אֱמַן concurrere quinque notiones, notionem *nutritionis, stabilitatis*, seu firmitatis, nec non notionem *veritatis & fidelitatis* ac *fidei*, seu *fiducie*. Notio hujus verbi primaria est in kal, *nutritionis* significatum habens. Et quia qui bene nutritur, salubris nutrimenti beneficio *consistens* ac *firmum* corporis robur accipit, verbum istud in Niphal habet notionem *firmitatis, stabilitatis*, ac in sensu morali simul *fidelitatis & veritatis*; quia *veritatis* proprium est *fundamentum* habere *stabile, firmum* ac *fidum*, cui tuto inniti possis. Unde emergit notio formæ in Hiphil, quæ significat *credidit*; seu cum *fiducia acquievit*, nimirum in *fundamento*, tanquam in *elemento & alimento*, quo nutriaris ac invalescas, *stabili* ac *firmo*. Quæ notiones singulæ quomodo in fide salvifica concurrant & quasi coalescant, nemo non videt. Est itaque *fides*, seu *fiducia*, pro emphasi verbi Hebræi, ejusmodi *habitus anime supernaturalis*, quo illa in verbo *veritatis, seu promissionis evangelicæ, & in ipso Deo*, tanquam in *fundamento & elemento suo immoto ac convenientissimo*, ita *recumbit & acquiescit*, ut eidem innurrita ex eodem magis magisque *invalescat & corroboretur*. Unde manifestum est, hæc notiones non adeo esse *diversas*, ut secundum philologorum opinionem *numeris sint distinguendæ*, sed ita *inter*

ter se convenire, ut secundum significationis intensiorem ac emphasim, pro diversitate respectuum, ad significatum unum, at pro diversis istis respectibus fecundissimum, coalescant. Ceterum notetur hac occasione etiam hæc emphasis Hebræorum, quod in benedictionis applicatione, h. e. in actu fidei justificantis, utantur verbo בָּרַךְ in Hithpaël, ita ut הַמְבָרַךְ sit, qui sibi ipsi benedicit per benedictionis applicationem Jes. LXV, 16. Conf. Gen. XXII, 18. Jer. IV, 2.

§. IX. Hæc hæctenus de notione *motus ac quietis fidei* maxime propria. Quæ, priusquam ad alia pergam, non inconsultum erit bifariam illustrare, primum e regno naturæ, deinde e statu morali. Et *naturæ* quidem ratio ita comparata est, ut in ea *omnia redeant ad motum & quietem*, speciatim apud hominem. Hic enim si sine ulla *quiete* & ullo somni refocillantis beneficio semper versaretur in *motu*, brevi concideret, totus exanimatus; siquidem, quod alterna caret requie, durable non est. Et si e contrario sine ullo motu partim somno indulgeret, partim fixus ac deses in eodem loco hæreret, non melius valetudini suæ consuleret, utpote mox vitium capturæ, uti aqua, quæ non movetur. Manifestum itaque est, in recta *motus ac quietis* dispensatione nervum esse valetudinis corporalis. Et eadem sane in *moralibus* est ratio animæ: quæ si semper versetur in *motu* agitationis & defatigantis occupationis, sensim robur suum ita debilitat, ut fracta ac succisa ejus ὄρμη deficiat ac concidat. Neque minus hæc ipsa deficeret per ejusmodi *quietem*, qua animus omni agitatione ommissa accidiæ se esset traditurus, plane obtorpescens. Hic corporis ac animæ status pro *motus ac quietis* ratione diver-

diversus ac in utriusque recta dispensatione optime constitutus, si ad christianismi praxin applicetur, etiam hujus recte constitutæ ideam nobis exhibet. Etenim in hac ad *motum* & *quietem* redunt omnia, maxime si omnis christianæ praxeos basin, matrem ac complexum, *fidem* consideres; utpote quæ, quo se habet rectius in dispositione *motus* ac *quietis*, seu moventis & agitantis desiderii ac fiducia acquiescentis, eo rectius est constituta, & eo melius universa totius christianismi praxis succedit.

## PROPOSITIO VIII.

*De indole fidei justificantis victrici.*

Fides justificans jam in ipso justificationis actu tanto cum nisu adversus *ἀπιστίαν* & reliqua obstacula luctatur, ut maxime existat victrix.

## DEMONSTRATIO.

§. I. Suppono hic, tanquam datum ab omnibus, *ἀπιστίαν* esse centrum, nervum ac complexum omnis peccati, adeo ut Christus edixerit, illos, qui haud credituri, atque ita vi *ἀπειθείας* in peccatis suis mansuri essent, damnatum iri Marc. XVI. Suppono porro, tantam esse in homine *ἀπειθείας* labem, ut per eam omne divinæ legis jugum detrectet, si non cogitatione, re tamen ipsa, negans, se a Deo dependere; & e contrario ut totus sibi met ipsi, ac pravo huic seculo, ad schema ejus compositus vivat, sibi quasi *ἀυτοθεός* & *ἀυτονομός*. Suppono non minus, hanc ipsam *ἀπιστίαν* labem in homine eam per ipsam naturæ corruptionem,

E

tum

tum per confirmatum perpetuæ consuetudinis habitum, tantæ esse firmitatis, tantique roboris, ut sese impugnabilis quasi propugnaculi ac præsidii instar habeat. Denique hic non minus e concessis suppono, hominem natura tantæ esse perversitatis, ut expugnaturæ ac fidem accensuræ gratiæ identidem soleat resistere, donec hæc in ipso, victa *ἀπιστία*, victoque una cum ea peccato dominante, superior & victrix existat. Quæ cum ita sint, manifestum est, fidem justificantem jam inde a prima sua origine ita versari in lucta pugnaque, ut in ea maxime *victrix* deprehendatur.

§. II. Et quis dubitare posset, victricem hanc fidei indolem in ipso primo justificationis actu quam maxime se exferere? Etenim fides simulac existit, justificat, adeo ut justificandi actus ratione temporis ne per momentum quidem ab ipso fidei completæ exortu distingui queat. Unde, quemadmodum prævii fidei magis magisque constituendæ, seu ad completam sui constitutionem emergentis, motus & actus, tanquam ejusdem scintillæ & prima stamina, in pugna versantur, & tenebris ipsique *ἀπιστία* oblectantur; ita ipsa ejus completa constitutio κατ' ἐξοχήν est victrix, utpote expugnata *ἀπιστία* ad eam emergens victoriam, ut perruptis omnibus obstaculis Christum ad salutem apprehendat.

§. III. Et hæc ipsa natura fidei justificantis *luctatrix victrixque* adhuc sit evidentior, si, quæ hætenus de ejusdem proprietatibus dicta sunt, hic denuo paucis considerata applicemus. Dictum est supra, accensionem fidei esse ipsam *regenerationem*. Jam vero quis nescit, *καλιγγευσίαν* istam spiritualem non sine doloribus partus

partus fieri, & fidei partum, seu foetum, novum non sine magno poenitentiae certamine edi? Demonstratum est Propof. II. fidem justificantem esse *vivam*, ipsamque *vitam* spiritualem; vitam, cui ut principium dominans existeret, utique cum morte spirituali ad victoriam usque fuit colluctandum. Ostensum est Propof. III. fidem justificantem pro natura sua esse lucidam, ipsamque *lucem* animae spiritualem. Lux autem haec quo modo emergere potuit, nisi tenebris magno cum nisu ac certamine expulsis? E Propof. IV. liquet, fidem justificantem in ipso justificationis actu *ἀργαμίως* esse *activam*. Haec vero actio ejus organica eo minus caret pugna ac victoria, quo plus ei difficultatis ab *aversa* & reliqua peccati labe objicitur. Idem etiam dicendum est de ea fidei justificantis proprietate, quam secundam Propofit. V. in *supplicatione* habet. Certe enim inter alia vel solus indignitatis sensus poenitentem adeo solet prosternere, ut non nisi magna cum tergiversatione ac lucta supplicationis actus repetat. Et quid secundum Propof. VI. de proprietate fidei *apprehendente* ac *applicante* dicam? Certe hic fides luctatur secum ipsa, tantam sui imbecillitatem & indignitatem sentiens, ut ab apprehensione identidem deterreatur, & non nisi cum certamine perterrefactae conscientiae thronum gratiae adeat, in aditu autem ipso victrix evadat. Et quamvis ea fidei facultas, quam denique *recumbendo* & *acquiescendo* exferit, tota videatur esse in pace sine lucta ulla; certe tamen etiam haec identidem sollicitari ac turbari solet, ita ut homo si non excusso plane, tamen turbato, aut admodum diminuto, acquiescentiae sensu subinde ad suum supplicandi & apprehendendi officium

haud exigua cum hæsitacione ac difficultate redire cogatur. Id quod quemadmodum in statum justificationis incidit, sic ad ipsius etiam actum ipsum pertinere, res ipsa docet & experientia confirmat.

s. IV. Quæ cum ita sint, hinc demum recte intelligimus, cur regeniti & justificati dicantur *ὀψεσθαι* *μὲγεθὸς τῆς δυνάμεως*, & credere *κατὰ τὴν ἐνεργείαν* *τῆς κρᾶτος τῆς ἰσχύος*, secundum efficaciam roboris potentie, & quidem tantæ, quantam Pater in resuscitatione Filii sui exseruerit. Eph. I, 19, 20. Quid? quod regenitorum fides, in ipsa regeneratione accensa, *ἰησαῖος* a Ioanne epist. 1. c. V. v. 4. adeo dicatur *victrix*, ut ipsa sit *ἡ νικη νικησασα τὸν κόσμον*, *victoria*, quæ mundum vicit. Quanta autem cum difficultate victoria fidei adversus *ἀπιστίαν* obtineatur, inter alia videas in exemplo illius patris, pro filio suo apud Christum deprecando laborantis, & ad Christi quæstionem de fide illacrymando & vociferando respondentis: *Credo, Domine, succurre βοήθει μὲ τῇ ἀπιστίᾳ, ich glaube Herr/ hilf meinem Unglauben!* Marc. IX, 23, 24. Nec Abrahami fidem ad victoriam & plerophoriam insignem sine lucta emeruisse, facile colligitur ex eius descriptione, quam Rom. IV, 18. habemus. Huc denique refer exemplorum omnium summam & præscriptum in verbis Pauli 1 Tim. VI, 12. *ἀγώνιστος τὸν καλὸν ἀγῶνα τῆς πίστεως*, decerta bonum certamen fidei. Conf. 2 Tim. IV, 7. Eph. VI, 16. 1 Theff. V, 8.

s. V. Non inconsultum erit *luctantem* hanc *victoriamque* fidei justificantis naturam uno atque altero loco symbolico illustrare. Apologia A. C. p. 74. *In remissione peccatorum oportet in cordibus vinci terrores peccati & mortis æternæ. Peccatum perterrefacit conscientias, sed vincimus*

cimus per Christum. Quomodo? Fide, cum erigimus nos fiducia promissæ misericordie propter Christum. Pag. 108. Promissio de Christo tantum fide apprehenditur, cum opposimus eam terroribus peccati & mortis. Ibid. Nos sepe jam ostendimus, quid apellemus fidem. Non loquimur de otiosa notitia, qualis etiam est in diabolis; sed de fide, que resistit terroribus conscientie, que erigit & consolatur perterrefacta corda. Talis fides neque facilis res est, ut somniant adversarii, neque humana potentia, sed divina potentia, qua vivificamur, qua diabolum & mortem vincimus. Pag. 143. Hec (nos propter Christum respici) non discuntur sine magnis & multis certaminibus. Quoties recurrit conscientia, quoties sollicitat ad desperationem? Item p. 172. Hec fides ita sequitur terrores, ut vincat eos & reddat pacatam conscientiam. Huic fidei tribuimus, quod justificet & regeneret, dum ex terroribus liberat, & pacem, gaudium & novam vitam in corde parit. Hanc fidem defendimus vere esse necessariam ad remissionem peccatorum.

§. VI. Egregie idem perhibet B. CHEMNITIUS in articulo de Justificat. p. m. 260. Hec est questio, quomodo & quo respectu fides justificet? h. e. quando in vera LUCTA mentes perterrefactæ sensu væ Dei quærent veram consolationem, ut a sententia damnationis liberentur, & accipiantur ad vitam æternam, quo in HOC AGONE fides debeat respicere, quid debeat apprehendere? Idem p. 265. emphasin verbi *ἠρωσάτω* de fide usurpati declaraturus, dicit illud esse verbum militare, ita ut se gerere *ἠρωσάτω* significandum Suidam sit non cedere irruenti, addens: Hæc significatio pulcherrime depingit LUCTAM FIDEI: ubi porro fluctantem vincentemque fidei justificantis naturam adductis scripturæ locis 1 Tim. VI, 12, Eph. VI, 16. 1 Thess.

l. 3. V. 8. describit, addito hoc effato: *Hæc emphasis recte considerata præbet pulcherrimas cogitationes.* Item p. 270. *Hæc fiducia LUCTATUR in tentatione, cum dubitatione, cum pavoribus trepidantis conscientie, immo cum peccato, morte, diabolo & ipsis inferis.* Conf. p. 279.

## PROPOSITIO IX.

*De partibus fidei justificantis.*

Hæ fidei justificantis proprietates hætenus recensitæ ac declaratæ, si ad definiendas fidei partes referantur, hoc respectu consideratæ, re ipsa in consilium adhibita, evincunt, quatuor esse fidei justificantis partes, *agnitionem cum divino assensu conjunctam, supplicationem, seu desiderium supplicans, apprehensionem & acquiescentiam.*

## DEMONSTRATIO.

§. I. Plura quidem momenta ad fidei constitutionem pertinentia hætenus descripta sunt, quam nunc in denominatione partium ejus repeti vides: sed eorum ratio ita est comparata, ut quidem ad fidei naturam pertineant, ejus tamen partes non constituant, sed necessarium partium istarum suppositum sint. Quod si enim fides non existeret in regeneratione, ita ut per se esset viva, ipsaque vita spiritualis, nec ulla activitate se posset exferere, nec in lucta versaretur ac victrix existeret; esset nonens, de quo nihil plane posset dici.

§. II.



§. II. Reliquas vero fidei justificantis proprietates quatuor ejus partes constituere, res ipsa docet. Nam quia ignoti nulla est cupido, necesse est, fidei inesse facultatem objectum suum *cum divino assensu recte cognoscendi*. Cognitum vero cum appetendum sit, demissa *supplicatione* opus est, & quidem tali, quæ aucta fiducia magis magisque emergat ad ipsam *apprehensionem* & plenior applicationem: hanc vero terminari *acquiescentia*, per se manifestum est.

§. III. Nec repugnare, si quis numerum hunc fidei partium quaternarium ad ternarium velit referre, ita ut *supplicationem* & *apprehensionem* conjungat in unam partem, statuaturque *supplicationem apprehensivam*, aut *apprehensionem supplicantiem*. Nec mihi adversus erit, qui has ipsas partes aliis insigniverit nominibus. Ego tamen cum HOEPFNERO aliisque, cur majoris evidentiae causa *supplicationem* ab *apprehensione* distinguam, mihi habere videor rationes haud spernendas, e Propos. V. & VI. facile cognoscendas.

§. IV. Ceterum in sacris litteris fidem sæpe ab hac vel ista parte tantum denominari, reliquarum partium officio supposito, res ipsa docet. In quibus tamen loquendi modis plerumque respici solet ad sensum istum, quem hæc aut ista fidei pars, seu proprietas, præ reliquis in credente, hoc aut isto in statu, aut hac vel ista actione, maxime exserit.

## PROPOSITIO X.

*De constitutione partium fidei vulgari.*

Vulgaris illa ac scholastica partium fidei, ut *notitia*, *assensus* & *fiducia*, constitutio

tio ita quidem est comparata, ut ad illam partes modo recensitæ referri queant & soleant; & hac ratione partitio ista vulgaris salva est; interea tamen dissimulandum non est, eam duplici, eoque non exiguo, defectu laborare, & uno quidem in *assensus a notitia disjunctione*, altero autem in *omissa supplicationis mentione*.

## DEMONSTRATIO.

§. I. Facile largior, *fiduciam* ita posse explicari, ut comprehendat *supplex desiderium*, nec non rei suppliciter desideratæ *apprehensionem*, & *recumbentiam* in apprehensa. Et hac ratione fiduciam fere ab omnibus, quotquot in systematibus theologicis & aliis libris fidei justificantis naturam describunt, aut de ea etiam coram grege ecclesiastico loquuntur, declarari videas. Atque ita etiam si retineatur vulgaris illa & scholastica partitio, in re ipsa nullus plane est dissensus. Et ut hoc declarationis modo quilibet, qui ea adhuc usus est, ipsam retineat, per me licebit; inprimis cum negari nequeat, in singulis istis partibus a fiducia distinctis jam tum adesse fiduciam, etsi diverso gradu; nimirum debiliorem in supplicatione, fortiorem in apprehensione, confirmatam vero in acquiescentia, quando fides a motu suo organico ad quietem tendit, immo hanc invenit.

§. II.

§. II. Interea tamen cum partitio ista sit ἀγραφοῦ, & primitiva etiam ecclesiae ignota, & demum a doctoribus scholasticis facta, hi vero formulas loquendi nobis obtrudere nec potuerint, nec voluerint, eadem saltem libertate, qua alii ista utuntur, aliis ratione τέρως παιδείας ab ea recedere licebit, ejusmodi partium constitutione in locum ejus substituta, quæ uti rei ipsi, sic etiam loquendi modis ἐγγράφοις convenit; inprimis cum scholastica illa loquendi ratio haud exiguo defectu laboret. Id quod, peritis satis notum, ut imperitioribus etiam innotescat, paucis demonstrabo.

§. III. Primus ejus defectus est, quod assensum a notitia distinctum pro peculiari fidei parte constituat. Assensum vero peculiarem fidei partem haud esse, sed ad ipsam notitiæ, si vera ac solida sit, constitutionem pertinere, paucis demonstro, desumptis argumentis:

- 1.) a natura assensus ita comparata, ut ad notitiæ solidæ formam, certe ad ejus constitutionem, ita pertineat, ut illa sine assensu fere nulla sit, saltem nomen veræ notitiæ haud mereatur. Quod enim non ita novi, ut rem perceptam per assensum possim affirmare & pro vera habere, errores autem ab ea per negationes ac dissensum remove; id plane nondum recte novi, sed habeo tantum ejus apprehensionem simplicem, vera notitiæ anima ac forma adhuc destitutam.
- 2.) a natura dubitationis. Quo quis in alicujus rei cognitione de ea adhuc magis dubitat, eo minus eam recte cognoscit. Jam vero cognitio sine assensu quid est nisi mera dubitatio, seu fluctuans idearum in simplici apprehensione hærentium apparatus?
- 3.) ab indole veræ notitiæ in sensu biblico: in quo notiti-

am, seu cognitionem Dei ac rerum divinarum, etsi adhuc debiliorem, neutiquam sine divino assensu pro vera & pro fidei parte, e principio gratiæ protecta, haberi, vel catechumenis & hermeneuticæ sacrae tironibus est exploratum, & a me aliisque pluribus contra nonnullos ἀπαθείς integris libris ex instituto demonstratum ac vindicatum.

- 4.) *ab inepta scripturae allegatione*, quæ fit ab iis, qui notitiam ab assensu distinctam pro peculiari fidei parte habent. Hi enim hanc suam hypothefin probaturi, provocare solent ad loca Jes. LIII, 11. Job. XIX, 35. Jo. XVIII, 3. Luc. I, 77. 1 Tim. II, 14. 2 Tim. III, 7. Tit. I, 1. in quibus tamen omnibus ac singulis sermo est de ejusmodi notitia, quæ divinum ac supernaturalem assensum, qui jam pro natura sua ad supplican-tem apprehensionem, ipsamque acquiescentem fiduciam totus propendet, pro forma sua habet: atque ita ea allegari nequeunt ad probandum, quod notitia, in quantum adhuc sine assensu consideratur, peculiaris fidei pars sit.

§. IV. Secundus partitionis scholasticæ defectus is est, quod proprietas fidei ea, quam in *supplicatione* & *apprehensione* habet, & fidei pars maxime essentialis est, & in sacris litteris innumeris fere modis ac locutionibus describitur, in ipsa plane omittatur, & defectus iste, deferta illa partitione, in fidei descriptione demum e re ipsa supplendus sit. Qua quidem ratione rei ipsi consultitur, ῥῶν @ vero παθείας defectus suos retinet, non sine detrimento ac periculo apud multos imperitos, præcipue inter afflictos. Hi enim quando acquiescentis fiducia sensu semet destitutos deprehendunt,

exi-

existimare solent, se fide ipsa carere. Cum vero sine fide nulla detur salus, in animæ terrores & cruciatus fere intolerabiles conjiciuntur, de fide, quam tamen revera possident, anxii ac tantopere districti. Quos solaturi quando recte docemus, etiam famem ipsorum sitimque justitiæ ac salutis spiritualem jam revera esse fidem; occur in ipsa partium fidei constitutione non expresse ponimus, quod res ipsa postulat, & status afflictorum exigit, & ad quod demum necessitate compulsi ipsi confugimus? ut hac ratione melius informati sibi ipsis rectius consulere possint. Et pro hoc docendi modo simul detectum excideret vulgare istud *præjudicium de fidei sensu sæpe latente & plane deficiente*. Id quod uti de acquiescente fiducia verum est apud multos, ita de *supplici nisu ac apprehensione* est falsissimum. Quo enim major & intensior est interior animæ afflictio, eo sensibilior in isto ariditatis statu est *fames ac satis* spiritualis, seu *supplicans desiderium*, proprietates fidei justificantis maxime essentialis. Atque ita sensus fidei hoc respectu nunquam est major, quam quando plane defecisse putatur.

## PROPOSITIO IX.

*De habitu fidei justificantis ad caritatem seu bona opera relato.*

Sancti motus & affectus a fide justificante etiam tempore & in ipso actu justificationis plane sunt inseparabiles, nec inde caritas ratione potentia & actuum ad ullum momentum separari potest.

DE-

## DEMONSTRATIO.

§. I. In fide justificante adsunt motus & affectus actum justificationis *antecedentes* & *concomitantes*, ab illo ejus negotio & officio, quod versatur in caritate & bonis operibus, quæ justificationis actum *sequuntur*, distincti.

§. II. *Motus sancti*, qui actum justificationis *antecedunt*, sunt illi ipsi, quos homo pœnitens ex efficacia gratiæ vocantis, seu prævenientis & preparantis, in contritione experitur, quando prima quasi fidei stamina surgunt, quæ, quia ad completam fidei constitutionem nondum emergunt, actum justificationis recte dicuntur *antecedere*. Quo in statu homines justificandi eo hæere solent diutius, quo difficilius & tardius ad exterminationem mali propositi ipsamque nativitatem spiritualem subacta *aristia* & accensa fide emergunt.

§. III. Hi vero ipsi sancti motus, qui cum primis fidei surgentis scintillis conjuncti sunt, & actum justificationis antecedunt, cum & in fide ad sui constitutionem emergente non minuuntur, sed adeo invalescunt, ut in validiores actus ac affectus abeant: atque ita cum ipso justificationis actu conjuncti sunt. Fides enim, quæ eos in comitatu suo habet, in ipso, quo complete constituitur, momento justificat.

§. IV. *Caritas* vero, quæ ex fide proficiscitur, una cum suis erga Deum, nos ipsos, aliosque homines officiis, distincta quidem est a moribus istis justificationis actum partim antecedentibus, partim concomitantibus, nec ad fidem, tanquam pars, aut forma ejus pertinet, sed ex ea, tanquam perpetuus fructus, resultat.

tat: sed hanc ipsam caritatem etsi ratione *ordinis* recte habeas pro *consequenti*, cave tamen, ne id intelligas de *ordine temporis*. Etsi enim ea caritatis officia, quæ apud illum, qui hodie justificatus est, cras & deinceps e fidei efficacia emanant, etiam respectu ipsius temporis actu justificationis sunt posteriora; nequaquam tamen existimandum est, fidem hodie, seu hoc aut illo temporis articulo posse existere integram & se in actu justificationis exserere, etsi caritate adhuc destituatur, sed hanc demum post intervallum aliquod exserat. Hæc enim fidei & caritatis idea utriusque naturæ plane repugnat.

§. V. Quare ut omnis hic error absit, de nexu fidei ac caritatis ita est statuendum, quemadmodum res ipsa exigit. Fides respectu caritatis est quidem arboris instar, quæ fructus fert; sed hæc fidei arbor nequaquam ita concipienda est, quasi jam existere possit, antequam fructus ferat, quemadmodum videmus, arbores fructibus suis non solum natura, sed tempore etiam esse priores: sed simulac existit, est arbor, quæ non tantum *potentiam* habet ferendi fructus, sed quæ ipsis etiam fructibus est ornata, saltem ita jam comparata, ut plena sit gemmarum, ex iis fructus, quorum alii aliis citius maturescant, sine ulla vel minimi momenti mora interposita, pro urgente & quasi parturiente foecunditate sua prorudens. Et hac ratione intelligenda sunt, quæ Theologi nostrates sine ullo alienius causæ aut meriti ac fiduciæ respectu de *presentia bonorum operum in justificatione quomodocumque* & uno ore scripserunt.

§. VI. Immo Theologorum nostratium scripta o-

lim executienti, inde, & e re ipsa ad vivum confiderata, subministratæ mihi sunt sequentes imagines, quæ fidei & caritatis nexum ætissimum repræsentant:

- 1.) *Vita & ejus potentia movendi*, immo ipsi *motus ac vitales actiones*. Quemadmodum a vita naturali potentia movendi ipsique motus & actiones vitales sunt inseparabiles; utpote ita ad ejus naturam pertinentes, ut inde naturali plane ductu emanent: sic etiam a fide, tanquam a vita spirituali, caritas ratione potentia ipsarumque actuum divelli nequit.
- 2.) *Lux & ejus calor*: quemadmodum hic cum ipsis calefaciendi actibus a luce, præcipue solis, separari nequit; ita etiam caritas a fide, tanquam divina luce, est inseparabilis.
- 3.) *Manus & facultas operandi*: quæ ab ea æque se jungi nequit, uti a fide facultas bene agendi. Certe homo justificatus similis est reo, qui postquam in judicio manum suam extendit ad accipiendum chirographum, vicariæ solutionis litura inductum, illudque cum gaudio recepit, judicis ministerio addictus optima quæque manu eadem peragit.

Has aliasque imagines, non solum illustrandi, sed probanda quoque vim habentes, si earum naturam cum fidei analogia collatam consideres, suppeditat res ipsa. Alia hujus rei simulacra passim videas in scriptis Theologorum nostratum; utpote in quibus me legere memini nexum fidei & caritatis exhiberi sub figura *aque & facultatis humectandi*; *ferris & ejus gravitatis & pro gravitate proprietatis deorsum tendendi*; *pomi & ejus odoris saporisque*; *centri mathematici & lineæ inde deducendæ*.



§. VII. Quæ hætenus dicta sunt, in gratiam imperitorum nunc aliquot Theologorum nostratium testimoniis comprobabo: quibus vero inter plura alia pauca hæc e libris ecclesiæ nostræ symbolicis præmitto: p. 134. *Dum inter terrores (fide) erigimur & consolationem concipimus, SIMUL crescunt alii motus spirituales, notitia Dei, timor Dei, spes, dilectio Dei x. t. l.* Item p. 692. *Manet, quod Lutherus recte dicit: Bene conveniunt, & sunt CONNEXA INSEPARABILITER, fides & opera; sed sola fides est, quæ apprehendit benedictionem sine operibus, ET TAMEN NUNQUAM EST SOLA.* Nimirum quemadmodum solus oculus videt, qui tamen nunquam est solus, seu solitarius, extra suum capitis locum constitutus.

§. VIII. Egregie B. CHEMNITIUS de *Justificat.* p. 307. cum & ex LUTHERO: *Diligenter observandum est, ut recte intelligantur particula exclusivæ. Ostendendum igitur est, quo sensu usurpentur & accipiende sint in articulo justificationis, ne illis obrudatur peregrina sententia, neve detorqueantur ad securitatem carnis. Quando enim Paulus dicit, nos justificari & salvari sine operibus, non excludit penitentiam seu contritionem, ne præcedat, nec excludit ceteras virtutes, ne vel ADSINT, vel sequantur. Magna enim differentia est, quando Paulus dicit Phil. II, 14. & 1 Tim. IV, 8. esse orandum, & omnia esse facienda sine murmuratione & ira. Illa enim propositione plane excludit omnem præsentiam, ut nec adsit, nec sequatur murmuratio. Sed quando dicit, beatitudinem esse ejus hominis, cui Deus imputat justitiam sine operibus, sumit Abrahæ exemplum, qui illo ipso tempore, quo dicitur fide sine operibus justificatus, præstantissimis virtutibus, quæ erant fructus Spiritus S. ornatus erat &c*  
Item

Item p. 308. Adscribam locum pulcherrimum, qui exstat in Commentar. Lutheri in XV. cap. Geneseos, in quo erudite explicatur, quo sensu accipiatur particula SOLA in artic. justificationis: Scio, reliquas virtutes esse insignia dona Dei. Scio, fidem sine his donis non existere, sed questio est, quid cujusque proprium. Tenes manu varia semina, non autem quero, quae cum quibus coniuncta sint, sed quae cujusque propria virtus. Hic aperte dic, quid faciat sola fides, non cum quibus virtutibus coniuncta sit. Sola autem fides apprehendit promissionem. Hoc proprium solius fidei opus est. Reliquae virtutes alias habent materias, circa quas versantur. Item: Scimus, quod fides NUNQUAM EST SOLA, sed affert secum charitatem & alia multiplicia dona, NEQUE UNQUAM SOLA est, sed non ideo confundenda res est, & quod solius fidei est, aliis virtutibus tribuendum.

§. IX. B. CUNDISIUS in Notis ad Compend. HUTTERI in artic. de Justific. ad quaestionem 20. e loco Symbolico paulo ante allegato concinnatam: Distinguendum est inter bonorum operum PRAESENTIAM & EFFICIENTIAM. IN CIRCULO JUSTIFICATIONIS PRAESTO SUNT QUIDEM BONA OPERA, sed nihil ibi efficiunt, cum objectum salvificum non apprehendant; quippe quod solius fidei est. Itaque si de justificatione & fiduciali apprehensione agitur, excludenda sunt bona opera, non per separationem negationis; sed mentalis dumtaxat praecisionis, qua distinguuntur opera a causis actum justificationis & salvationis ingredientibus, quae separatio vel abstractio praecisionis fit tam mente, quam affectu. Mente, cum non obstante, quod iustitia inherens cum fide, tanquam ejusdem proprietate ac signo, semper individuo nexu cohaereat, distinguitur a natura justificationis, ad cujus essentiam constituendam non concurrat

currit. Affectu, cum in Christi merito solo quaeritur justitia, non autem in aliis rebus, v. g. in operibus. Vid. idem ad quaest. 21. ubi inter alia recte monet, justitiam imputatam & inherentem tempore simul esse. Conf. ad easdem quaestiones B. BECHMANNUS in notis.

§. X. B. GERHARDUS Loco de Justific. p. 707. Vera fides & charitas, regeneratio & renovatio, justificatio & sanctificatio, PERPETUO quidem NEXU sunt conjuncta, interim tamen unicuique tribuendum, quod suum est. Item p. 774. cum approbatione hæc Augustini verba allegat: Credere in Christum est credendo amare, credendo diligere, credendo in illum ire & membrum ejus effici. Porro p. 865. Fides vera est fiducialis apprehensio Christi, quæ per charitatem efficax est Gal. V, 6. a qua tam non possunt separari bona opera, quam a sole lux, ab aqua humiditas. Item p. 868. Provocat cum Luthero ad regulam Theologicam: Fides sola justificat, quamvis nunquam sit sola. Item p. 923. Accurate autem & propter calumnias adversariorum notandum, quod particula SOLA non determinet subjectum, quasi fides justificans sit sola, & a charitate ac reliquis virtutibus separata; siquidem vera fides est viva, non mortua, est efficax per charitatem &c. Particula sola removet opera non ab actu presentia, sed a communicatione efficientia, hoc est, non ut adesse fidei & justificatis, sed ut fidei in actu justificationis cooperari, negentur. Item p. 969. Particula sola non excludit virtutes reliquas, spem, dilectionem, timorem &c. a fide, sed a justificatione; non a justificatis, sed ab actu justificationis. -- Presentia istorum actuum est in hominibus, qui credunt, sed illi actus non pertinent ad justificationem. - Ergo quod Lutherus dicit, fidem, nisi sit sine ullis etiam minimis operibus, non justificare, imo non esse fidem, Tom. I. Lat. Jen. f. 488. id  
G acci-

accipiendum de fide in actu justificationis occupata, non autem ut sese in ipsis justificatis habet, ac per bona opera exerit: ea enim a vera fide nunquam abesse, sexcentis in locis inculcat Lutherus. Monendum tamen, per actus virtutum intelligi hoc loco potissimum interiorem cordis renovationem, quæ cum remissione peccatorum semper est conjuncta. Conf. p. 985. Item p. 686. In homine vivo sunt simul anima, sensus & motus: qui negat, sensum & motum esse causam vitæ, (quippe cuius sunt effecta) num is statim negat, in homine vivo esse sensum & motum? Anima communicat corpori vim sentiendi & movendi: qui negat vim movendi conferre aliquid ad vim sentiendi, num is animam vi movendi privat? Sic cum fide justificante non negantur conjuncta esse opera, licet ad justificationem conjunctim cum fide agere negentur. Item p. 988. Fides dilectione ordine naturæ prior est; cum fides sit dilectionis causa: interim tempore sunt simul.

§. XI. B. HOEPFNERUS libro de Justificat. p. 15. Prior propositio, fide sola justificamur, est exclusiva subiecti, quæ abstrahit quidem a fide, sed non distrahit opera; & hunc parit sensum: fide & nullo alio medio ex parte nostra justificamur & salvamur. Posterior autem: Fides, qua justificamur, non est sola, est exclusiva prædicati, quæ sic exponenda est: Salvifica fides non existit absque bonis operibus, sed præsentia habet bona opera & per charitatem est operosa. Gal. V, 6. Item p. 103. Fides justificans nunquam est absque operibus. Nullius enim rei essentia unquam est sola, sed semper habet adjunctas suas proprietates & suos proprios effectus: cum tamen de essentia rei sermo est, distinguuntur proprietates ab essentia, quia eam non constituunt, nec sunt partes essentielles rei, quamvis sint inseparabiles a re, ita ut ne intellectu quidem possint abstrahi vel privativa, vel negativa abstractione.

Con-

Confer eundem Auctorem in locis Theol. p. 452. ubi dicit charitatem non magis abstrahi, seu separari, posse a fide justificante, quam risibilitatem a rationalitate. Conf. BROCHMANDUS in System. p. 167. & 189. CHRISTIANUS MATTHIAE in System. p. 389. & DANNHAUER. Hodosoph. p. 1305. & 1387. Item p. 1389. ubi hæc probe sunt notanda: *Fides sola justificat, tamen si non est sola; ut pomum nunquam est sine odore, sapore, colore; non tamen agit in visum per odorem, sed solo colore.*

§. XII. B. QVENSTEDIUS in System. P. IV. p. 287. *Excludimus bona opera, non ratione actus præsentiae, aut coexistentiae, sed ratione communicationis efficientiae, non ut non adsint fidei justificanti, sed ut cum fide nullam habeant in justificando homine ἐνέργειαν, seu causalitatem.* Item p. 553. *Ubi tamen iterum iterumque inculco: Particulam, sola, remove opera non ab actu præsentiae, sed a communicatione efficientiae; sive non negare coexistentiam charitatis, spei, timoris &c. sed coefficientiam & cooperationem in actu justificationis.* Eadem in eadem pagina aliquoties dicuntur. Conf. p. 557. Item p. 558. *Fides justificat virtutibus illis absentibus, quoad actum justificationis, seu causæ, quia proprium fidei officium est & actus proprius, applicare meritum Christi. Non autem justificat illis absentibus, quoad existentiam, seu actum effectus. Idem est, ac si dicerem: Solus oculus videt: Ergo etiam videt, si solus & sit revulsus a capite. Non sequitur. Nam soli quidem oculo adscribitur visio, attamen non separato a reliquis corporis membris, quia tunc neque proprie oculus est. Ita fidei soli adscribitur justificatio, non tamen avulsa a cæteris pietatis studiis &c.* Conf. hic porro CARPZOV. Ifagog. in libros Symb. p. 878. seqv. CALOV. System. Theol. Tom. IX. de Justific. p. 330. & KROMAYER

RUM Theol. Pof. Pol. P. II. p. 374. aph. XI. ubi inter alia fcribit: *Fides prægnans operibus iustificat ante partum - ex parte noſtra ſolitaria non exiſtit, ſed bona opera ſibi juncta tenet, ratione ſcilicet PRÆSENTIÆ, non efficien- tiæ. Nec enim omnia, quæ ſibi ſunt præſentia, concurrunt ad producendum eundem effectum.*

## PROPOSITIO XII.

Quidquid ſanctorum motuum & affectuum iuſtificationis actum partim præcedit, partim comitatur, partim etiam cum bonis operibus, tanquam fructibus fidei, ſubſequitur, nullam plane, & ne minimam quidem, alicujus cauſæ & meriti proprie ſic dicti, ſeu operis meritorii & iudicio Dei opponendi, rationem habet.

## DEMONSTRATIO.

Motuum & affectuum actum iuſtificationis antecedentium præcipui & vehementiores illi ſunt, quos homo de ſua ipſius indignitate & miſeria in humiliante contritione ſentit. Unde, etiamſi inter illos jam tum aliquot amoris erga Deam & homines flammulæ cum ipſo primo fidei ſtamine quaſi emicare incipiant, iſte tamen indignitatis ac miſeriæ propriæ ſenſus dominans

minans nequaquam homini ullum fiducia, in istis motibus collocanda, locum relinquit, utpote huic e diametro oppositus. Et hic ipse sensus fide ad justificationis actum emergente non minuitur, sed augetur, adeo ut nunquam major existat, quam in ipso justificationis actu, ubi homo rei & mendici instar, qui semet ipsum accusat, suamque culpam deprecatur, totus a Dei gratia dependens, comparet: adeo ut, si hoc ipso tempore, quo fides in actu justificationis versatur, meriti opinio, in hoc negotium incideret, & locum apud hominem inveniret, hæc ipsa universum istud justificationis negotium esset impeditura, & manifestum datura documentum, nec fidem, nec contritionem, in homine esse genuinam. Atque ita e rei ipsius natura manifestissimum est, quidquid sanctorum motuum & affectuum justificationis actum præcedit & comitatur, nullam plane causæ salutem efficientis & meriti ullius rationem habere, sed ita comparatum esse, ut justificationis negotium, necessitatem ejus urgendo, potius promoveat, quam impediat. Opera vero subsequenda hic in censum non venire, ut demonstrem, re ipsa loquente, supervacaneum esse arbitror. Ceterum hic conferenda sunt ea, quæ in Formula Concordiæ artic. III. de justitia fidei traduntur, ubi quemadmodum ex una parte recte negatur, fidem, quæ justificat, unquam esse solam, seu solitariam, bonis operibus destitutam; sic ex altera etiam recte negatur, præsentiam operum fidei, *ut justificare possit*, esse necessariam; cum ejusmodi præsentia necessitas, ad ipsum justificationis actum efficiendum relata, nihil sit,

G 3 nisi

nisi causalis operum influxus ad justificationem, ideo recte negata. Quibus locis qui, in præjudicium doctrinæ de vera fidei justificantis indole hætenus tradita, abutuntur, ita ut ea istius assertoribus opponant, suam produnt matæologiam, commiseratione dignam.

DISPUTATIONIS PRAESES  
RESPONDENTI

S. D. P.



*I*nter eos, qui hucusque Anti-Poiretiana responsione publica defendenda sibi sumserunt, optima quasi sors tibi, vir juvenis ornatisime, cecidit, si ad edificationis scopum respicias. Ad hunc enim hæc de fide justificante Dissertatio tota est composita. Et quo in se ipsa est fecundior ac præstantior hæc materia, eo etiam uberius pro digni-



dignitate sua voluit tractari. Certe uti Dissertatio antecedens, quæ de justitia Christi imputabili & ipsius justificationis sensu forensi agit, id habet, quod in theoria, sed ad praxin omnino tendente, est præcipuum: sic hæc præsens ejus est argumenti, quo universa totius christianismi praxis nihil agnoscit præstantius & amabilius. Quare, carissime Blumenthali, quid tua hæc publica disputationis opera a te ipso requirat, vel me non monente ipse intelligis: scilicet ut non solum in ipso disquisitionis actu te exhibeas talem, qualem & mea & totius docti auditorii expectatio fert: sed ut per omnem quoque vitam experiaris, & sic ipsa experientia comprobet, non aliam, quam qualem publice defendisti, fidem justificantem esse veram. Hac ratione optime stabis, non solum in actu publico, sed in privato etiam, quoties satanam, fidei justificantis hostem infensissimum, in schola tentationum

tionum opponentem habebis: hunc inde fructum quam certissime reportaturus, ut, gregi alicui ecclesiastico praefectus, de fide loqui possis multa cum parrhesia, & plurima cum istius aedificatione. De quo ut spes mea impleatur, ipse dabis operam; ego autem uberrimam divinae gratiae mensuram tibi hinc discessuro ex animo apprecor. Vale in DOMINO, studiorum ac viarum tuarum directore fidelissimo! Dabam Hale Saxo- num die XIV. Cal. April. M DCC XXI.



JJ 5225

ULB Halle

3

002 698 757





st

Ms 18

Mt:







44

DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
DODECADIS POSTERIORIS  
S E X T A,

DE

NATURA ET  
PROPRIETA-  
TE FIDEI, QVAE  
JUSTIFICAT.

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA

*bu.*

*die Martii hujus MDCCXXI anni*

D. JOACHIMUS LANGIUS,

S. THEOL. PROFESS. ORDINARIUS,

Disquisitioni publicæ submittit

RESPONDENTE

CAROLO GUILIELMO *Blumenthal*

LOBURGENSEI MAGDEBURGICO,

S. S. THEOLOG. STUDIO.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFII, Acad. Typ.

